



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

De cogitando Deo in fratribus. Cap. 22.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

mentorū vsus, conscientiaē examinatio, & alia huiusmodi, rectē diligenterque praestabis. Nam his bene praestitis, virtutes auges, feruorem prouehis, peccata multa leuia declinas, & quotidie melior ac purior efficeris. His verò malè & oscitanter factis, in dies tepiditatem foues, & statum animae spiritua- lem (vt experimento compertum est) nihil promoues. Operibus istis, o frater, Deo ipsi famularis, qui Rex magnus est ac Dominus potens, non decet verò seruum, qui aeternam mercedem à tanto Rege pro suis obsequiis sperat, illi tepidè oscitantēque seruire. Mater tua religio Sancta in veris & strenuis filiis suis religiosa opera diligenter praestat, ne socordia & negligentia tua illam labores filiorum Domino offerentem, aliquo rubore suffundas. Pudet enim illam imperfecta opera offerre, & fructus putridos Domino consecrare.

*De bono exemplo fratribus dando.*

CAPVT XX.

**M**NIBVS tum externis tum domesticis bonum exemplum praebere curato, & sanctitatis odorem spargere, vt bonus Christi odor tactus in omni loco eum, non solum tuo, sed omnium ore collaudes. illum enim ore etiam & corde eorum laudas, quos vitæ tuæ puritate ad laudandum inuitas. Hoc autem assequeris, si in bonis operibus, quæ ostenderis, & in circumspectione, quam seruaueris, non tuam, sed Domini laudem gloriamque quaesieris. Nihil igitur apud alios facias, ex quo scandalum aut offensionem accipiant; nihil, ex quo anam liberius viuendi capiant; nihil, ex quo aliquid contra institutum, aut communem viuendi vsum introducant. Considera te membrum esse totius religionis, & sicut vnum membrum non nihil incommodi patitur propter bonum totius, ita & tu disce aliqua incommoda dissimulare, in cibo, in potu, in veste, in cella, & aliis similibus, & aliquid penuriae & molestiae pati, vt sanctam religionem, sicut eam inuenisti, discretè seueritatis amaritatem, & abstinentiae & paupertatis cultricem relinquant.

*De rebus temporalibus curandis.*

CAPVT XXI.

**R**es temporales, vt vestes, libros, & similia, nullas habebis proprias: quia hoc paupertati à te Deo promissæ repugnat. Ad vsum verò tibi à religione concessas, non vt proprias (siquidem earum dominium non habes) sed vt alienas, (vt verè sunt) & mutuo datas accipies. Sicut enim re tibi commodata ab aliquo, & ad vsum pro tempore determinato concessa, ita vteris, vt quam minimum detrimentum accipiat, quo eam possis illam restituere: ita & res cœnobij, quæ ad vsum tibi datæ sunt, diligenter & curiosè tractabis, vt multo tempore durent, & si ad aliorum vsum deuenierint, sine horrore illis vti possint. Id paupertas, quam professus es, experit, immò & religiosa urbanitas poscit. Qui enim res sibi ad vsum datas incuriosè atterit, & turpat, & infumit, pauper non est, & qui aliorum, qui easdem res postea ad vsum vendicabunt, nullam rationem habet, satis inurbanus & inciuilis est.

*De cogitando Deo in fratribus.*

CAPVT XXII.

**I**s septem erga religionem in qua viuimus, seruandis, breuiter expositis, iam ad quartum septenarium eorum, quæ erga fratres seruanda sunt, accedamus. Ac primò in fratribus tuis non tam hominem quam Deum aspiciere & cogitare curato. Deus namque in omnibus rebus, sed præcipuè in creatura rationali ac intellectuali, per essentiam, præsentiam, & potentiam inhabitat: quare æquum est vt in cunctis rebus, sed præcipuè in hominibus, Deum inspiciamus. Sicut ergo cum regem scis sub cortina latere, non multum de cortina curas, sed regem latentem, teque contuentem consideras: ita cum fratrem vides aut alloqueris, non tam eius aspectum oculis carnis, quam Deum in eo habitantem mentis oculis intuearis. Hoc assequi magnum Dei donum est, quo nec erga iuuentutem & pulchritudinem personarum afficeris, neque à senibus, & decrepitis, & ægrotis abhorrebis, & miram animi puritatem comparabis. Et fiet paulatim in te quidam sublimis spiritus orationis, ac diuinæ familiaritatis, quo in Deum semper affectu eas, & inter homines solum viuas. Et nos scimus, quia multo facilius est hoc scribere, quam actione præstare, sed potens est Deus nostris piis conatibus pro sua voluntate fauere.

*De dilectione fratrum.*

CAPVT XXIII.

**R**ECONDARE præceptum Domini esse, Diliges proximum tuum siue fratrem tuum sicut teipsum. Quod præceptum illi maximo dilectionis Dei mandato simile dictum est, quoniam & dilectionem præcipit, & Dei causa habendam præcipit, & sua amplitudine omnia mandata comprehendit. Cum scriptum sit, [qui diligit proximum, legem impleuit.] Diliges ergo vero & puro amore fratres tuos, & diliges non propter lucrum, non propter aliquid creatum, sed propter Deum tuum. Hoc autem præstabis, si fratres tuos in corde tuo non contempseris, si non temerè iudicaueris, si eis non oblocutus fueris, si nec verbo nec opere malum intuleris, si pro tua possibilitate inuaueris. Denique si illud impleueris: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Et, Pro vt vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Neque erit hæc dilectio tibi difficilis, si in fratre Deum fueris contemplatus, si eum à Deo diligere ac in magno pretio haberi cognoueris, si fratrem, id est, Dei filium ac matris Ecclesie, & ad gloriam destinatum, & tibi vtilem esse putaueris.

Iob 4.16.  
Luc 6.31

*De affabilitate erga fratres.*

CAPVT XXIV.

**C**ONGREGATIONI pauperum ait Ecclesiasticus, affabilem te facito: videtur autem tecum loqui cum propter Christum te pauperum religiosorum congregationi sociaueris. His quibuscumque viuus quantum charitas & disciplina re-

Ecclesi 4.7

ligiosa